

nostra siti a multis annis citra habuit, prout adhuc habet VJ grossum latum cum uno hallensi, qui per praefatum dominum Johannem, dum vixit, vicario praefati altaris pro tempore in censu dari et solvi annuatim consueverunt, per rectorem hospitalis praedicti pro tempore dari et solvi debent perpetuis temporibus in futurum. Quodsi non fieret, poterit ipse vicarius qui tunc fuerit eundem censum per pignorum captionem in agris praedictis vel etiam in allodio hospitalis faciendam de nostra licentia extorquere. Et quia agri praedicti ad possessionem hospitalis sunt reversi et aliis agris suis adunati, ne in posterum per aliquem revocetur in dubium, utrum sint iidem agri vel alii, in quibus dictus vicarius prius et iuxta tenorem priorum nostrarum litterarum sex solidos et III<sup>or</sup> denarios Fribergensis monetae census habuit nomine census, prout habet sibi et suis successoribus in dicto altari ad ostendendum, quod sint alii agri a prioribus distincti, ad tollendum huiusmodi dubium et ut rector hospitalis, qui pro tempore fuerit, secundum quantitatem et ratam agrorum ex morte domini Johannis de Liczenitz ad hospitale devolutorum VJ grossum latum cum I hallensi nomine census solvendorum praedicto vicario servire debeat, prout ceteri homines de suis agris a praedictis agris decisis facient temporibus affuturis, hanc patulam dedimus super eo. Datum anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup> in vigilia beati Andree apostoli. In cuius rei evidentiam praesentem litteram sub sigillo nostri capituli desuper dedimus roboratam.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 599. 1369. 3. Dec.

*B. Johann eignet dem Vorsteher der Capelle auf dem Stolpen zu Verbesserung seines geringen Einkommens Geldzinsen in Wölkau.*

In nomine domini amen. Nos Johannes dei gratia episcopus Misnensis notum facimus — quod cum redditus et proventus annui pertinentes ad capellam in honore sanctorum Basili episcopi et Barbarae virginis ac martyris per nos fundatam et dotatam in castro nostro episcopali Stolpin adeo exiles et tenues sint et existant, quod rector eiusdem capellae congruam exinde non possit habere sustentationem, nisi dicti redditus et proventus augeantur et augmententur, nos vero huiusmodi defectum matura deliberatione praehabita adimplere cupientes praedictae capellae in castro nostro episcopali Stolpin quinquaginta et tres grossos annui census de molendino ad nos olim ex morte strenui Hermanni de Budissin felicis recordationis devoluto in pago villae Welkow districtus nostri Gôdowe<sup>a)</sup> sito annis singulis solvendos de expresso et unanimi consensu capituli nostri Misnensis donamus — in his scriptis per rectorem praedictae capellae levandos — et possidendos, ut exinde sustentationem magis congruam habere possit et deo valeat liberius famulari, aliis iuribus nostris in dicto molendino Welkove nobis ac nostris successoribus reservatis. In quorum omnium testimonium praesentes litteras scribi fecimus et nostri sigilli maioris appen-

a) Wölkau, Par. Göda.